

in ipsa conspiciuntur *anima*. In *corpore* quidem affectus conjuncti sūt cum extraordinaria sanguinis commotione, & floris nervosi motu vehementiori; quod ex coloris repentina mutatione, gestuum inordinata dispositione, motuum etiam externorum vehementia, robore membrorum cum adfectu quolibet conjunctis, adparet; qui tamen vel tardiores interdum vel concitiores esse possunt. Hinc facile deduci potest ille irascentium, ut Senecæ mea faciam verba, asper & acris, audax & minax vultus, tristis frons, torva facies, color vertus, & nunc subito retrorsum sanguine fugato pallens, nunc in os omni calore & spiritu verso, subrubicundus & similis cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis & exsiliantibus, nunc in uno obtutu defixis, & horrentib<sup>9</sup>,  
fla.

flagrantibus & micantibus. Hinc labra trementia, interdumq; compressa, & dirum quiddam exhibilantia, gemitus mugitusque, & parum explanatis vocibus sermo perruptus, incerta verba subitis exclamationibus. hinc dentium inter se arietatorum & aliquem esse cupientium non alius sonus, quam est apris tela sua attritu acuentibus. hinc horrent & subriguntur capilli. hinc spiritus coactus & stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasque minas agens. hinc totius corporis concussio, muscoli subsultantes; hinc bilis in illa partium inordinata cōstriktionē in intestina & ventriculū effusio. hinc pulsus magni & vehemētes, tanto sæpe impetu sanguinem urgētes,

ut vasis disruptis, vel præter naturam apertis, sanguis ex naribus, labiis, ore, utero, aliisque partibus, nec non vulneribus, in copia effundatur. Quæ verba sua etiam fecit Celeb. Dn. Verdries (aa). Nec diversa in aliis affectibus fieri animadvertimus. In lætitia rubore suffunditur facies, & in majore illius gradu exoritur etiam risus, & aliquando quoque lachrimæ: sic de ceteris.

## §. II.

**R**atione anime si perpendamus adfectuum effectus, animadvertemus illos etiam esse varios; dum vel *animum* disponunt ad expectanda, quæ natura nobis dictat esse utilia. Legitimi affectus inquit Celeb. Valchius, (bb) multum boni in hac vita producunt

(aa) in *æquil. m. & C. p. m. 130.* (bb) *Introd. ad Phil. p. m. 380.*

efficiuntque; spes enim recta incitat hominem ut bonum futurum sectetur; rectus timor securitatem movet; ira justa compescit aliorum malitiam; misericordia egeno succurrit, &c. vel sanitati fovendæ præbent adminicula, de quibus imprimis medici (cc); vel etiam tenebras aliquando offundunt intellectui, si pravi fuerint, ut verum elicere nequeamus. Vehementissimus enim spirituum animalium motus omnia in cerebro conturbat, & menti facultatem ideas comparandi adimit, ut recte loquitur Gentzkenius (dd) vel *judicium corrumpunt*; homo enim de re quam amat vel odit, recte sentire non facile potest; vel *ordinem in ratiocinando intervertunt*

(cc) *Conf. Langii Coll. Cas. per totum dist. 2. & Verdries de Æquil. M. & C. in locis pluribus, alio que.*  
(dd) *de aff. p. 13.*

tunt; cum ex foedere animi & corporis, affectus sint modo destinati ad exsequenda rationis iudicia, & hoc officium conciliarii & iudicis sibi arrogant; *vel ideas non conjungendas combinant*; hinc fit, ut si quis ab aliquo diversæ nationis aut conditionis a sua, quoquo bono vel malo afficiatur, is non tantum illum, sed omnes ejusdem nationis & conditionis aut amet, aut odio habeat: *vel animi tranquillitatem inturbant*, quo ipso homo in profundissimam calamitatis barathrum precipitatur, omnique felicitatis sensu privatur. Qui affectus, si repetitis se invicem excipiunt vicibus, & nos sponte illis advescimus, dato objecto voluntas statim e vestigio commovetur, tanta sæpe vehementia, ut morbos facile & ipsam quoque mortem suis corporibus, &

na.

naturalibus & civilibus accelerare queant (e).

## §. III.

**F**ons horum effectuum malorum est *universalis illa natura humana corruptio*, de qua Teologi, Philosophi est in specialiores hujus mali causas inquirere, quæ a Clariss. Gentzk. recensentur (ff).  
I. quod plerumque secundum nostram imaginationem de bono & malo judicemus, unde affectuum sapissime excessus & falsissimum de rebus iudicium. II. quod credamus, alios homines occasione eorundem objectorum iisdem ac nos moveri adfectibus. Hinc odium, invidia, Zelotypia &c. III. quod omnes adfectus nostri se excusent, prout ex

sen-

(e) Conf. Langii Coll. cas. Diss. 6.  
de mortuis ex adfectibus. (ff) Tract.  
Ethico. phys. de aff. p. m. 14.

40  
sensu interno quisque ipse percipit. Hujus rei exemplum satis evidens ex ira cernere licet, quæ quamvis pessima perpetret, non solum te exulat, sed etiam se justam reputari contendit. IV. *quod possessio boni corporis conjuncta sit cum voluptate, possessio boni mentis sæpe conjungatur cum molestia & dolore: cum vero voluptas sit character boni, & dolor signum mali, haud raro usu venit, ut animi bonis posthabitis, corporea magni faciamus sectemurque.*

*Membr. VII. de Re mediis adfectuum.*

**Q**uemadmodum vero Medici suam *πρόγνωσιν & διάγνωσιν* in Medica scientia non immerito magni faciunt, quippe quarum altera multum expedit morbis occupandis; altera in morbis curandis plurima sibi vindicat: ita

41  
ita etiam nos non parum, spero, juvabit, quod priusquam manum admouimus medicinæ parandæ adfectibus, eorum causis &c. inveniendis operam non sterilem impenderit. Cumque in superioribus ostensum sit, objecta movere sensus, perque hos mentem; optime igitur sibi quisque consultum credat, si (1) quantum possit sibi ab istis objectis caveat, quæ animum nostrum turbare possunt. Hic itaque locum habet Poëtæ illud de amore:

*Quantum oculis, animo tam procul i-  
bit amor.*

Quod quin ad plurimos alios sensus, affectus atque objecta referri & applicari queat, nemini dubium erit. Imitari decet Ulysem ejusque socios, qui aures cæca, ad Sirenum cantum ob-  
tu-

42  
turabant. Si (2) diligentem adhibeat cautionem circa principia, ita ut quam primum vel minimos sentiat motus, rationis imperio insurgentes, illis frena injiciat, & in herba suffocet, iuxta monitum Poëtæ:

*Principiis obsta, sero medicina paratur,  
Cum mala per longas invaluere moras (gg).*

Adpetitus omnes, inquit Philosophus, contrahendos sedandosque esse, excitandamque esse animadversionem & diligentiam: ut ne quid temere, ac fortuito, inconsiderate, negligenterque agamus (bb). Si (3) hostem suum victum mens nunquam otiosum di-

(gg) Ovid. de remed. am. v. 91.  
(bb) Cicero de Off. L. 1. C. XXIX.

43  
dimittat, sed honestis semper intenta rebus, illi imperet. Nam nihil adeo valet, ex communi Philosophorum etiam sententia, ad ingenerandos pravos adfectus atque vitia, ut otium & inertia (ii); unde iterum recte Poëta de amore:

*Otia si tollas periere cupidinis arcus.  
Et otii vitia negotio discuti Curtius pronunciat (kk).*

Tacitus hoc ipsum probat exemplo legionum Pannonicarum: Junius Blæsus fine Augusti & initiis Tiberii auditis, ob justitiam aut gaudium intermiserat solita munia. Eo, principio lascivire miles, discordare, pessimi cujusque sermonibus præbere aures (ll).

Hinc

(ii) Vid. Barcl. Arg. Lib. IV. C. XVIII. (kk) Lib. VII. C. I. (ll) Tacit. Lib. I. Annal. Germ.

Hinc non minus verum quam tritum est illud: Otium multa mala docet. Atque (4) cum nullus hominum sit, qui liber esse non cupiat; cogitet igitur quisque se nunquam ad hoc præclarum gloriæ & felicitatis fastigium pervenire posse, nisi adfectuum tædissimo dominio solutum. Quid est libertas? inquit Cicero. Respondet ipse ad quaesitum: potestas vivendi ut velis. Quis igitur (pergit) vivit ut vult? nisi qui recta sequitur: qui gaudet officio; cui vivendi via considerata atque provisa est: qui legibus non propter metum parer, sed eas sequitur atque colit, quia id salutare maxime esse iudicat: qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique nisi libenter ac libere: cuius omnia consilia resque omnes, quas gerit, ab ipso proficiunt eodemque refer-

referuntur: nec est ulla res, quæ plus apud eum polleat, quam ipsius voluntas atque iudicium. Cui quidem etiam, quæ vim habere maximam dicitur, fortuna ipsa cedit. Et paulo ante de imperatore: Refrenet primum libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coercet avaritiam, ceteras animi labe repellat: tum incipiat aliis imperare, cum ipse improbissimis dominis dedecori atque turpitudini parere desierit. Dum quidem his obediens, non modo imperator, sed liber habendus omnino non erit (mm). Idem Cicero ponit etiam fundamentum stabilis amicitiae, qua nihil, excepta sapientia, melius homini a Diis immortalibus datum pronuntiat (nn), in eo, quod homines

(mm) *Parad. V. Cap. 1.* (nn) *Cic. de Amic. Cap. 6.*

nes benevolentia conjuncti, primum cupiditatibus iis, quibus ceteri serviunt, imperent (oo). Tum etiam (5) miseræ, quibus illi cruciantur, qui adfectibus subjacent, considerandæ. Sic enim hac de re iterum Cicero: Te miseræ, te ærumnæ premunt, qui te beatum, te florentem putas: tuæ libidines te torquent: tu dies noctesque cruciaris (pp).

Præterea (6) semper cogitemus nos non solum lege Divina, in verbo ipsius expressa, sed etiam natura obstrictos esse, ut frenum injiciamus adfectibus nostris, ne Ethnicis pejores videamur. Adpetitus rationi obediunt, eamque neque præcurrant propter temeritatem, nec propter pigritiam aut ignaviam de-

(oo) *Ibid. Cap. 22.* (pp) *Cic. Parad. II.*

serant: sintque tranquilli atque omni perturbatione careant. Ex quo elucebit omnis constantia omnisque moderatio. Nam qui adpetitus longius evagantur, & tanquam exultantes sive cupiendo sive fugiendo, non satis ratione retinentur. Relinquunt enim, & abjiciunt obedientiam: nec rationi parent, cui sunt subiecti lege naturæ (qq).

Postremum ad affectus continendos (7) sæpius recordabimur, cum primis in ornando corpore nostro occupati, quomodo inordinati adfectus non solum intra nos turpissimam deformitatem creent, & extra nos malam famam, ignominiam, contemptum, fastidium atque odium nostri excitent, nosque hoc modo

scē-

(qq) *Cic. de Off. Lib. I. Cap. XIX.*

foedent atque conspurcent; sed etiam ipsum corpus nostrum foedissime corrumpant. Quod adfectuum remedium passim invenire licet apud eos, quibus illustrium foeminarum mores praecipis, cum fructu ad decorum componere curae cordique fuerit. Nam de corporis, per adfectuum tumultuarium motum, foeditate, praeter experientiam optimam rerum magistram, Cicero etiam haec habet: Non modo animi perturbantur, sed etiam corpora. Licet ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti sunt, aut voluptate nimia gestiunt: quorum omnium vultus, voces, motus, statusque mutantur (rr).

Haec aliaque remedia, quae vel

(rr) *Loco prox. sup. cit.*

vel in genere vel in specie a Philosophis variis traduntur varia, quamvis ad affectus pravos subjugandos, reliquos autem recte ordinandos, haud parum sint profutura, non tamen sufficiunt ad perfectam eorum cohibitionem. Vix enim possibile, ut nostra tam debilitata natura tantum opus possit perficere, tantoque malo mederi. Quod si itaque rebelles suos adfectus arctius cohibere velit homo, potiora auxilia extra se quaerere debet, illaque a summo Numine exspectare, cujus gratia demum illos in ordinem redigere poterit. (ff) Deus igitur Ter O. M. qui nobis animam & corpus benignissime contulit, regat ita meam omnique suorum mentem sancti spiritus sui vitute & gratia, ut haec in hac vita corpori recte praesit, & tandem in futura eidem corpori

(ff) *ad Gentzk.*

pori iterum unita æterna felicitate potiatur, ubi nos in sanctis Angelorum choris eundem Deum, benignissimum nostrum Patrem, cum gaudio triumphantes, æternum collaudabimus!

SOLI DEO GLORIA.

